

Sepulcrum earumdem Tertiariarum, prout in ipso Decreto; quod integrum transcribunt, præter supradictas DD. ipse Tamburinus de Jure Abbatissar. d. disp. 7. qu. 3. n. 7. Antonellus de Regimine Mil. Eccl. lib. 7. cap. 12. n. 13. Lantufca, & Nicolius Verb. Tertiariæ. Fagnanus in cap. Omnis utriusque sexus. n. 64. de Pœnit. & Remiss. ac novissimè Pax Jordanus tom. 2. lib. 7. tit. 13. nec non Pignatellus cit. tom. 3. Consult. 34. n. 29. Qui omnes concorditer docent, & tenent, non posse Tertiarias absolvi à peccatis per Confessarios Regulares, ab Episcopo non approbatos; neque recipere ab ipsidem Sacram Eucharistiam in Paschate; ea inconcussa ratione, quia Tertiariæ sunt personæ Sæculares.

Neque juvaret Regulares Confessarios non approbatos per Episcopum, si dicerent, supradictum Decretum Sacre Congregationis esse intelligendum de mulieribus Tertiariis, seu Pizzocheris degentibus singillatim in domibus consanguineorum, non autem de illis, quæ collegialiter vivunt sub obedientia, ac directione eorumdem Regularium, emissis tribus votis obedientiæ, pauperitatis, ac castitatis, quales hic Patavi sunt illæ Sanctæ Rosæ, Sancti Antonii, ac Sancti Francisci, quasi sint penitus exemptæ, ac omnino Religiosæ, cum vivant adinstar Monialium, ac communiter vocentur Moniales. Nam respondetur dupliciter. Primò, quòd si ipsi Regulares non approbati ab Episcopo non possunt audire confessiones mulierum Tertiariarum viventium in domibus privatis cum suis consanguineis, & cum præhabitis septem conditionibus; quæ sunt legitime Tertiariæ, ac permissæ ab Apostolica Sede; multò minùs poterunt absque Episcopi approbatione audire confessiones collegialiter viventium, quæ sunt Religiosæ spiritaliter, illegitime proscriptæ à Sancta Sede, & omnino subjectæ Episcopali Jurisdictioni. Secundo respondetur, quòd dato, & non concesso, quòd reputarentur Moniales, ac mulieres Religiosæ, & gauderent privilegiis Monialium, adhuc nullus earum confessiones audire posset, quia ab Episcopo non esset pro ipsidem audiendis specialiter approbatus, juxta Bullam Inscrutabili, &c. Gregorii Papæ XV. ut diximus supra Decif. XXXVIII. num. 31. & de qua tractant Antonellus de Regim. Mil. Eccl. lib. 17. cap. 12. n. 10. & 11. Barbosa in Collect. DD. ad Concil. Trident. sess. 25. de Regularibus cap. 10. num. 11. Novarius in Summ. Bullar. part. 1. Comment. 66. num. 31. & Bordonus d. part. 1. resol. 7. num. 67. & resol. 36. num. 71. & seqq. Idcirco à primo ad ultimum mulieres Tertiariæ sive cum suis consanguineis viventes, sive collegialiter commorantes confiteri non possunt peccata sua nisi Sacerdotibus approbatis ab Episcopo; neque alligati possunt à Regularibus Privilegia in contrarium, cum jam sint omnia revocata; ac extincta circa Sacramentalia Confessiones personarum secularium; tum à Constitutione Pii IV. confirmatoria Concilii Tridentini, tum ab illa Urbani VIII. de Anno 1629. per nos recentia supra in d. Decif. XXXVIII. num. 9. & advertit Laurentus de Franchis de Controv. inter Episc. ac Regular. part. 1. num. 1338.

Qua doctrina irrefragabili attenda, cum olim Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Paulus Valaresio Episcopus Concordiensis, (zelo, pietate, ac vigilantia nulli antistiti inferior, excerptus è Seminario Episcoporum, scilicet è Capitulo Paduano, in quo Canonici Coadjutores munere diù portitus, charus nimis erat Eminenti, ac Rever. Præsuli Gregorio Cardinali Barbadoico, cujus Pastorales labores, ac industrias tunc edocuis, nunc mirificè in regimine nobilissimæ, ac anti quissimæ illius Concordiensis Ecclesiæ imitatur, atque exerceat;) cum inquam, anedi-ctus Ordinarius Concordien. à me olim requisiverit, an posset punire Regularem, qui ausus fuerat absque ejus approbatione Mulierum Tertiariarum con-

fessiones audire? & qua pœna? respondi, ex dictis per eundem Laurentum de Franchis d. part. 1. num. 1434. haberi, quòd aliis in casu consimili à Curia Archiepiscopali Neapolitana Regularis fuit carcera- tus, & deindè suspendus à Divinis per tres Annos; potest enim Episcopus pro suo arbitrio hos ausus reprimere, & coercere etiam aliis pœnis, ut permittit ex Regularibus Rodriguez Q. Q. Reg. tom. 2. quest. 28. art. 1. & 2. Theaufus de Pœnit. part. 2. Verb. Absolutio cap. 2. in fine, & ex Canonistis Bellettus part. 2. de Pœnit. Cleric. §. 30. num. 2. Fagnanus in cap. Sant. il. 2. num. 27. 45. & 55. de Po- tēst. Judic. Deleg. & novissimè docet Illustrissimus Episcopus Crispinus De Vist. Pastor. part. 1. §. 15. num. 6.

Adverti tamen prælaudatum Episcopum, ut procederet servato juris ordine, idest priùs formato processu, & probata auditione Confessionum absque Episcopali approbatione; deindè citato ipso Regulari Confessario ad personaliter comparandum, & se excusandum super eodem delicto eorum ipso Illustrissimo, ac Reverendissimo Ordinario Concordiensis tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, ad tradita per Piascium in Praxi part. 2. cap. 3. art. 6. n. 79. ubi jura, & DD. Nisi timor esset de fuga; qua tunc posset Episcopus statim procedere ad capturam, & carcerationem delinquentis, ex doctrina Menochii de Arbitrar. Judic. casu 180. n. 22. & Farinacci de Carcerib. quest. 27. à n. 73. & seqq.

DECISIO XLI.

ARGUMENTUM.

Tractat præfens Decifio de Confessariis Monialium Episcopo subditam. De Origine Monasteriorum, & eorum Clausuræ indignantur Confessarium Monialium qualitates, ac requisiti. Cautelæ præscriptæ ab Innocentio Papa XI. in audiendis confessionibus Monialium negotantium. Deciditur discussus casus Monialis confitentis crimen reservatum; sed prohibentis Confessario accedere ad Episcopum pro facultate eam absolventem, ob jutum, ac probabilem timorem manifestationis sui ipsius, infamiae, atque scandalorum.

SUMMARIUM.

1. Moniales variis nominibus nuncupata. Earum exordium.
2. Clausuræ Monialium initium sub Bonifacio VIII.
3. Confessarii Monialium Ordinarii, & Extraordinarii. Eorum etas, & qualitates.
4. Parochi an possint esse confessarii Monialium? & an Regulares?
5. Moniales nulli possunt confiteri, nisi Confessario sibi assignato.
6. Jubilæi tempore cui consueantur Moniales? Et cui Novitiæ, & Puellæ?
7. Confessarius Extraordinarius quoties dari possit? & an uni soli Moniali?
8. Monialis obligatio circa frequentiam Sacramentorum; & an teneatur confiteri Extraordinario?
9. Infrimæ Monialis confessio qua cautela sit audienda?
10. Confessarii Ordinarii Monialium expleto triennio statim auferendi.
11. Confessario quid agendum, dicente Moniale se habere casum reservatum, & nolle cum ire ad Episcopum pro facultate absolventem?
12. Casus reservati Apostolica Sedi quinam sint? Et qui Episcopo? num. 13.

14. Episcopus absolvit ab omnibus casibus reservatis oculis.
15. Penitent non est manifestandus petendo licentiam pro casu reservato.
16. Litteræ S. Pœnitentiariæ impetrande pro casibus reservatis Monialium.
17. Leander Coloredus S. R. E. Cardinalis laudatus.
18. Confessarius absolvit à reservatis, si penitens non potest ire ad Superiorem.

Post explicitas condiciones eorum, qui Religiosorum confessiones possunt audire; convenit, ut breviter tractemus etiam de qualitatibus Confessarium, qui ad excipiendas Confessiones Monialium deputantur; & quomiam Moniales aliæ sunt immedie Episcopis subjectæ; aliæ verò exemptæ, ac subditæ vel Sedi Apostolicæ, vel Regularibus; idcirco in præsentibus Decifio de primis loquemur; de secundis in Decifione sequenti.

Moniales, (quæ etiam Monachæ, Deo dicatæ, Sponsæ Christi velatæ, ac aliis gloriosis nominibus per SS. Patres sunt appellatæ; quos recenset Tamburinus de Jure Abbatissar. disp. 7. quest. 1. num. 1.) suam originem habuerunt ab exordio Ecclesiæ sub Magisterio Deiparæ, quæ Sanctam Martham, ac alias Virgines educuit, se cœlesti Sponsulo Filio suo confectare; & sub eruditione Apostolorum, à quibus Cœnobita Virginum Sacram per univèrsam Orbem fuerunt constructa, ut probat idem Tamburinus. d. quest. 1. à num. 5. & seqq. & in tractatu de Jure Abbatum tom. 1. disp. 2. quest. 10. nec non Lezana in Summa tom. 6. ad Marc Magnum Carmelitar. §. 33. num. 262. Cumque successivis temporibus per totam Ecclesiam ingens esset Sanctimonialium numerus, custodiabantur in innocentiæ, ac sanctitatis vitæ absque præcisâ lege clausuræ; quamvis clausuræ sub custodia solius Abbatissæ viverent usque ad tempora Bonifacii Papæ VIII. ut exemplis Historicis demonstrat idem Tamburinus de Jure Abbatissarum disp. 18. quest. 2. ubi advertit, quòd invalentibus hominum iniquitatibus, præcipuè ob Principum discordias, & bello-rum incendia, prædicti Bonifacius VIII. in principio sæculi XIV. per Constitutionem suam, quæ legitur in cap. Periculoso. De Statu Regular. in 6. ad tuendam honestatem Sacram Virginum, ipsidem indicit perpetuam Clausuram, quam denud præcepit Concilium Tridentinum sess. 25. de Regul. cap. 5. & postea eandem legem sub gravissimis pœnis confirmavit Summi Pontifices S. Pius V. & Gregorius XIII. quorum Bullas de hac re transcribit idem Tamburinus. d. disp. 18. quest. 3. & in eis tam Episcopi, quam Prælati Regulares frictè ad illam servari faciendam onerantur.

Igitur Moniales nunc in perpetua clausura viventibus deputandi sunt per Superiores earum Confessarii Sacerdotes, qui eas Sacramentaliter audiant, & absolvant, aliisque Sacramenta illis ministrent; & agendo de Monialibus immedie subditi Episcopo; ad ejus Pastorale Officium spectat deputare hujusmodi Confessarios ordinarios, & extraordinarios; hos bis, vel ter in anno; illos, qui per triennium durent, ad præscriptum ejusdem Tridentini Concilii d. sess. 25. de Regular. cap. 10. & sint viri scientia, prudentia, ac pietate præditi; talesque tunc censentur, quando sufficienti doctrina Sacrorum Canonum, ac Theologiæ eruditi, constituti repariantur in ætate annorum 45. vel saltem 40. ut ex Sacre Congreg. Decreto scribit Polaccus 2. part. Vacat. Epidem. De Conf. Monial. num. 3. & ex Concil. Provinc. Mediol. notat Illustriss. Crispinus de Vistat. Pastor. part. 2. §. 42. num. 46. & sciant retrahere Sanctimonialia à malo, idest à dissonantibus inter se, amicitiaque cum aliis, & De Sacramento Pœnitentiæ.

cas docere bonum, scilicet dirigere per viam Christianarum virtutum; & præcipuè si ipsimet Confessarii avaritiam odio habentes penitus abstinent à muneribus, & meminerint id, quod S. Laurentius Justinianus ajebat, honestè, Confessionem non esse Converseationem, ut nervosè infinuat in prædicta Vist. Pastor. d. §. 42. num. 46.

Porro licitum non est Episcopis deputare Parochos in Confessarios ordinarios, vel extraordinarios Monialium; quia ipsi debent vacare confessionibus suorum Parochianorum, ac ipsidem administrare Sacram Eucharistiam diebus festis; nec satis est supplere per Capellanos, nam obligatio Parochorum est personalis, & eis non licet deserere proprium pro appellativo; & ita desitum est à Sacra Congregatione die 10. Aprilis 1615. teste Bordonus d. resol. 118. num. 6. Lucerna Regular. V. Confessarius. num. 13. Barbosa ad d. sess. 25. cap. 10. num. 18. Similiter ex decretis ejusdem Sac. Congregationis fas non est Episcopis mittere Regulares tamquam Confessarios ordinarios, vel extraordinarios ad audiendas Monialium confessiones, ut legitur apud eundem Barbosam de Jure Eccles. Univ. libr. 1. cap. 44. num. 127. & Tamburinum de Jure Abbatissar. disp. 16. quest. 2. num. 4. & utrumque exactè observat Eminentissimus ac Reverendissimus D. meus Cardinalis Gregorius Barbadoico in hoc Episcopatu Patavino; & indè erat, quòd in omnibus Parochialibus Ecclesiis hujus Civitatis florebat devotio secularium per assistentiam Parochorum in Sedibus Confessionalibus, festivis diebus, juxta præceptum ejusdem Eminentissimi Antistitis; quia quidem devotio cessat Parochis discedentibus; & ut praxis demonstrat fuit etiam exercitum Doctrinæ Christianæ puerorum, quæ excusantibus Parochis circa propriam familiam ob occupationem, quam habent in Sanctimonialium confessionibus.

Debent itaque Moniales confiteri peccata sua Confessariis, unicuique Monasterio earumdem individuali deputatis, adeò ut si consueant Sacerdoti pro secularibus approbato, vel alteri Monasterio constituto, vel suo ordinario, seu extraordinario, cujus deputatio sit finita, nulla esse absolute ob Jurisdictionis defectum; nam desinit Clemens Papa X. in sua Bulla In superna, (de qua supra in Decif. XXXVIII. num. 32.) Approbato ab Episcopo ad personarum secularium confessiones audiendas nequam censeri approbato ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectarum; sed egre, quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbato pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minime possit audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Iidemque Confessarius semel deputatus, atque approbatus ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi, illarum confessiones audire; sed toties esse ab Episcopo approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Et est tam insuperabilis hæc inhabilitas Monialium eligendi sibi, quem maluerint Confessarium, ut neque tempore Jubilæi confiteri possint nisi uni ex illis specialiter deputatis per Episcopum, & approbatis ad Monialium confessiones eo tempore excipiendas, ut bene notat pax Jordanus libr. 7. tit. 12. num. 202. minime attenda opinione contraria Bordonus in resol. 5. num. 6. & in resol. 34. num. 53. ubi frivolis quidem rationibus veritatem deserit; & ad eandem legem adhibitæ sunt Moniales Novitiæ, in quibus cessat electio confessarii extranei; ut in se reverius concedit Bordonus in resol. 118. num. 14. ubi puellis existentibus educationis causa in Monasterio dat libertatem consentendi cuicumque Sacerdoti pro secularibus approbato; quod non credo verum; quia ipsæ puellæ sunt

sunt obligati quo ad Claufuram, & quo ad Confessarium pro Sacramento, æqualiter cum ipsis Monialibus, ut testatur Tamburinus de Jure Abbatissar. disput. 2. ques. 2. num. 14. & non effugerit punitionem Episcopi Confessarius non deputatus, qui accederet ad audiendam confessionem educandæ existētis in Monasterio.

Disputant verò Doctores, An possit Episcopus pluries, quàm bis, vel ter in anno, dare Confessarium extraordinarium Monialibus? Et affirmativè respondent apud Bordonum d. resol. 5. num. 3. & resol. 118. num. 8. quia Concilium Tridentinum sess. 25. de Regul. d. cap. 10. loquitur demonstrativè; dicendo bis, vel ter in anno; non autem restrictivè; & cum ita disponat ad favorem Monialium, talis dispositio tamquam favorabilis est amplè interpretanda: adeòt possint etiam Episcopi pluries concedere Confessarium extraordinarium privatis, seu aliquibus Monialibus illum petentibus, quando subit justa causa; & cum concedere expedit quieti conscientiarum earundem Monialium, ut contra Gavantium relatum à Lezana in Summa tom. 1. cap. 25. num. 40. in fin. dicit probat Bordonus d. resol. 5. num. 11. alios DD. ibi referens ita sentientes; nec non in Miscellan. Decif. 154. quibus ego addo Cotonium in Controv. Illustr. libr. 2. controver. 7. num. 3. & Diana Coordinat. tom. 7. tract. 2. resol. 348. existente in veteri part. 6. tract. 8. resol. 28. & eundem in hoc prælaudatus Eminētiss. ac Reverendiss. D. meus Cardinalis Barbadienus cum his fuis Monialibus Patavinis benignè procedebat, & abique difficultate, quando requirebatur ab aliqua Moniali, ex iuxta causa, extraordinarium Confessarium dabat; solius dicere, facile Moniales incidere in diffidentiam cum Ordinario Sacerdote, & subinde recidere peccata, vel se subtrahere à frequentia Sacramentorum; unum solummodò esse advertendum ab Episcopo, ut virum prudentem, probatæ vitæ, ac virtutes concedat in extraordinarium singularem Moniali illum petenti; Superioreque rigidus, negando hanc gratiam, à Pastoris Officio, cujus est ovium infirmitati mederi, nimis declinare.

Stante igitur obligatione Monialium confitendi peccata sua Confessariis Ordinario, & Extraordinario sibi per Episcopum deputatis; querunt DD. an possint non accedere ad Confessarium Extraordinarium? & an Ordinario saltem singulis mensibus teneantur confiteri? Quo ad Extraordinarium, communis opinio Theologorum est, eas non teneantur ad illud accedere, ea ratione, quia datur in eorum favorem; favor autem non confertur in invitum. I. Iuriv. 20. §. Quod cuique. ff. de Reg. Jur. l. jubemus. C. de Emancip. liber. Bordonus d. resol. 118. num. 8. & 9. Uno casu excepto, videlicet, si habent aliquod peccatum mortale, de quo ex iusto motivo nolissent se accusare coram Ordinario, deberent enim illud confiteri Extraordinario, ut prudenter considerat idem Bordonus in resol. 5. num. 9. Quo verò ad Ordinarium, Moniales non esse obligatas saltem singulis mensibus coram eo confiteri, communiter scribunt Moralistæ, inter quos Pellizarius de Monialibus cap. 6. num. 8. Tamburinus de Jure Abbatissarum disp. 16. ques. 6. Donatus de Regularibus tom. 4. tract. 13. ques. 1. & Bordonus resol. 5. num. 6. & resol. 20. num. 7. quorum doctrinam ego retelli in meis Decisionibus de Venerabilis Eucharist. Sacram. Decif. XLIX. à num. 14. Et sequ. ex pluribus rationibus, iuris, & auctoritatibus ibi allegatis circa obligationem earundem Monialium communicandi semel saltem in mense, que cò magis militanti circa debitum confitendi, ut latè probavi in d. Decif. XLIX. quam Lectorem studiosum legere non pigeat.

Ubi verò Confessarius Ordinarius, vel Extraordinarius ingreditur claufuram cum Corta, & Stola, ut audiat Confessionem alicuius Monialis infirmæ, opus est, ut advertat, & exequatur præceptum Sanctæ Memoriz Innocentii Papæ XI. de quo loquitur Crippinus in d. Visitata. Passor. pari. 2. §. 42. num. 48. his verbis: La Santità di N. S. Innocentio XI. adi 4. Febraro 1678. ha ordinato, che i Confessori nell' ingresso al Monasterio per assistere alle inferme, entrino sempre vestiti de gl' abiti Sacri, cioè con la Corta, e si portino con modestia, ed esemplarità, che si richiede in una funzione tanto pia; nè si trattengano più di quello sia precisamente bisogno; nè ricevano alcuna refezione dentro la claufura. Die verò 21. Martii 1682. per litteras circulares omnibus Episcopis sic iunxit: Cbe tutti i Confessori di Monache non debbano in alcuna maniera udire le Confessioni Sacramentali delle medesime, quando sono inferme, se non a Ponte aperte della Cella, nella quale si trovano, con l'assistenza di alcune Monache; in modo però, che queste possano vedere solamente, ma non udire nè l'inferma, nè il Confessore; e ciò sotto gravi pene, anche di privatione di voce attiva, e passiva all' Abbadesse. Consimile transumptum litterarum legitur impressum Anno 1686. in Synodo Barberina ad pag. 983. Confessarios autem Ordinarios transacto triennio esse statim amovendos ab Officio pluries declaravit Sacra Congregatio Episcoporum; nec ad illud Monasterium remittendos, nisi alterius triennii cursu expleto, ut notat Nicolius in Eloculis Verb. Confessarius num. 36. & 37. quem triennale contumaciam servandam esse liquet, ubi ex gratia Sacra Congregationis ad instantiam Monialium prorogatum fuisset primum triennium ad alios tres annos; explosa omnino opinione Bordonii autumantis, in tali casu secundum triennium reputari pro vacatione, ac contumacia, ut ipse ait, resol. 118. num. 2. quod satis puerile est afferere.

Sed quid erit faciendum à Confessario sive Ordinario, sive Extraordinario, cui Monialis in confessione se accusat de casu reservato vel Sedi Apostolicæ, vel Episcopo; sed protestatur eidem Confessario se nolle sub quovis prætextu, ut ipse accedat ad Episcopum ad petendam facultatem eam absolventi; tum quia ob iusta motiva timet infamare totum Monasterium, ac seipsum; tum etiam quia probabiliter argumentatur, ex huiusmodi facultatis petitione, Episcopum esse cogniturum personam ipsius penitentis, ac gravia damna inde esse sibi proventura? Quid aget Confessarius? Sadebit, algebit unico, & eodem tempore. Casus fatis difficilis, cujus resolutionem etiam doctissimi homines dare formidantur.

Nihilominus ego consulturus huic Confessario; confistero in primis, quod casus reservati Apostolicæ Sedi sunt illi, qui continentur tum in corpore Juris, de quibus Eminētiss. Cardin. Toletus libr. 1. cap. 35. & 36. tum in Bulla Cænæ Domini, & alii quinque post Concilium Tridentinum per Summos Pontifices sibi specialiter reservati, nempe 1. Hæresis. 2. Duellum. 3. Simonia. 4. Violatio Ecclesiasticæ Immunitatis. 5. Violatio claufuræ ad maius finem Summa Diana Verb. Casus reservati. 1. Donatus Rer. Regular. tom. 3. tit. 4. §. 36. Barbosa de Offic. Episc. alleg. 50. n. 185. Pax Jordanus tom. 1. libr. 3. tit. 4. num. 93. Casus autem Episcopo reservati alii sunt de Jure. 1. Perreusio levis clericorum. 2. Incendiarium Summa Diana d. Verb. Casus reservati num. 2. Reginaldus d. libr. 1. n. 135. & nonnulli alii, inter quos homicidium, mutilationes, passiones cum dæmone; quibus addendus est Abortus factus animati; ut ait Novarius in Summ. Bullar. part. 2. comment. 2. num. 12. præter illos, quos Episcopi sibi specialiter solent vel per Edictum, vel

vel per Constitutiones Synodales reservare; vide licet blasphemantes Deum ex consuetudine, vel determinatis vicibus periri in iudicio; fœdissimum contra naturam scelus committentes; & alii, ad singulares personas tantum attententes. Igitur Confessarius primo locò advertere debet, ex supraentis casibus qualem sit, in quem fuerit penitens illa Monialis; nam casus reservati ab Episcopo circa laicos comprehendunt etiam Moniales, ipsi Episcopo subjectas. Donatus ubi supra tom. 4. tract. 13. ques. 34.

Secundo loco considero, parùm importare quòd prædictus casus fuerit ex Papalibus, vel ex reservatis Episcopo; quia cum sit occultus, ut supponitur (nam si esset notorius, vel publicus egrederetur sphaeram præsentis hypothesis) potest Episcopus ipse absolvere, ac delegare facultatem absolventi, vigore Concilii Tridentini sess. 24. de Reform. cap. 6. ut tenet Summa Diana Verb. Absolvere. num. 54. & ibi Sanchez in Decalog. tom. 2. libr. 6. cap. 15. num. 76. quamvis non desint contradictores, quos refert, & contra quos cumulat oppugnatores Diana part. 7. tract. 2. resol. 20. collocata in Coordinato tom. 3. tract. 3. resol. 27. & nos examinabimus infra Decif. XLV. num. 5. & 6.

Hic ita prænotatis strictè loquendo de modo per Confessarium tenendo, respondent communiter Doctores, quòd vadat ad Episcopum, & petat licentiam absolventi unam penitentem à tali casu reservato, quem sibi indicavit in Confessione; nam eam Episcopus potest elargiri. cap. De Monialibus. De Sentent. excommunic. Barbosa alleg. 41. num. 19. Pax Jordanus d. libr. 3. tit. 4. num. 46. Tamburinus de Jure Abbatissar. disp. 16. ques. 8. num. 7. & Bordonus resol. 5. num. 5. in Miscellaneis Decif. 419. per totam. Porrò hoc unguentum non est applicabile nostræ plagæ; non solum quia penitens expressè protestatur, ne accedat ad Episcopum ob motiva supra relata; que speranda non sunt à Confessario; sed etiam quia imminet periculum fractionis Sigilli Sacramentalis, & manifestationis personæ penitentis; ut bene docet Summa Diana Verb. Sigillum num. 9. & num. 21. ac sequentibus. quare ipse Diana part. 5. tract. 11. resol. 12. existente in Coordinato tom. 1. tract. 8. resol. 13. versus finem ita dicit: Inferior petens veniam absolventi à casu reservato, nullo modo potest personam aperire, vel casum ita explicare, ut ea venire possit in notitiam Superioris. At in hypothesis ex motivis præcedentibus probabilissimum est, si Confessarius accedat ad Episcopum, & dicat: in meo Monasterio est penitens egens facultate pro casu reservato; & Episcopus requirit speciem peccati, ex ejusaperitione statim Monialis potest heri manifesta cum ejus infamia, ac totius Monasterii, & in consequentiam parentum, ac familiarum nobilis; que confessio Sacramentalis redditur odiosa, & aperitur via scandalis, ac inconvenientibus multis.

Pellizarius pro tanto vulnere exhibet emplastrum, lenitivum potius, quàm sanativum; nam in suo tract. de Monialibus cap. 10. num. 283. duo suggerit remedia; unum, quòd Confessarius mittat tertiam personam ad Episcopum, à quo obtineat facultatem absolventi unam Monialem à casu reservato, in quem lapsa est. Alterum, quòd Confessarius eam absolvat, sed cum conditione, ut procuret, & procuret debeat prædictam facultatem ab Episcopo per aliquem alium confessarium. Hæc liniunt, ut dixi, non faciunt; quia remanet vulnus apertum, per obligationem adhibendi aliam personam, que alloquitur Episcopum cum eodem periculo, ut cognoscatur ipsa Monialis penitens, & exurgant scandala, ac inconvenientia supra considerata.

Itaque duo tantùm videntur esse modi adjuvandi per Confessarium hanc Monialem penitentem absolventem.

que timore scandalorum, vel revelationis ejus personæ. Primus est, procurare litteras à Sacra Pœnitentiaria, & ab eadem impetrare facultatem in foro secreto, & penitentiali absolventi à casu reservato. Hoc remedium facile est, ac præsertativum à scandalis. Facilitas patet, quia directè supplicatio transmittitur Romam ad Eminētiss. ac Reverendiss. Cardinalem Summum Pœnitentiarium (qui in præsentibus Eminētissimus, ac Reverendissimus Leader Cardinalis Coloredus, cujus tanta est pietas, clementia, ac animarum salutis zelus, ut disputabile sit, an ipse à splendoribus Purpuræ Cardinalitæ illustretur; vel ab ipsius heroicis virtutibus eadem Purpura vividiores radios recipiat.) Præservat hic recursus à scandalis; quia exponitur casus sine nomine Penitentis, Monasterii, Civitatis, aut Diocesis, & facultas dirigitur Confessori per latricem præsentium eligendo, ut est notorium, & docet Leo in Praxi ad Litter. Major. Pœnit. 6. col. 1. idè hoc est remedium practicabile, & supra omnia eligibile; ut innuit Summa Diana d. V. Absolvere num. 51. & docet Bonacina de Censuris disp. 1. ques. 3. punct. 2. num. 4.

Secundus modus est, quando verè urgent argumenta manifestationis, seu cognitionis personæ penitentis, & scandalorum per accessum Confessarii ad Episcopum; quòd in tali casu ipse Confessarius absolvat prædictam Monialem, quam tamquam impeditam, & non habentem aditum ad Superiores absolvi posse ab ipso Confessario testantur innumeri gravissimi Theologi, ac Doctores, videlicet Thomas Tamburinus in Opus. de Exped. Confess. lib. 3. cap. 9. §. 4. n. 17. ita scribens: In tertio casu (recurrendi ad Superiorem pro abolitione à casu reservato) numquam obligabitur Confessor Superiorem convenire propter peccatum reservatum penitentis; nam vel penitens potest adire prædictum Superiorem, & tunc non extremè indiget; Vel non potest, quia Verbi gratia, est infirmus in gravi periculo; vel habet (notetur) impedimentum perpetuum adveni Superiorem; & tunc casus hic non est reservatus; & consequenter Confessor juxta regulas generales absolventi in articulo, vel periculo mortis, poterit illum absolvi; neque enim penitens obligatur mittere alium, sive procuratorem, sive litteras, sive amicum; cum illud se presentandi sit onus personale penitentis, à quo, cum non possit, excusabitur. Idem docet, ac tradit Sanchez libr. 2. in Decal. cap. 13. num. 14. ubi DD. eandem opinionem habentes allegat; quibus ego addo textum in cap. Nuper 29. in fin. De Sent. Excommun. sic loquentem: Verùm si difficile sit ex aliqua iusta causa quòd ad ipsum excommunicatorem absolventis accedat, concedimus indulgentem, ut præstita iuxta formam Ecclesie cautione, quòd excommunicatorii mandato parebit, à suo absolvat Episcopo, vel proprio Sacerdote. ubi Glossa explicat: Sic ergo simplex Sacerdos potest absolvere. Quare ubi adeft impedimentum accedendi ad Episcopum pro absolutione, posse proprium Parochum, vel Confessarium absolvi, sustinent, consulunt, ac docent Doctores propè infiniti, quos cumulat Diana part. 5. tract. 14. resol. 58. Item part. 9. tract. 7. resol. 10. nec non resol. 11. quas studiosius reperiet in opere Coordinato tom. 1. tract. 5. resol. 17. 18. & 19. & quas occurrente hoc casu legere non desinat; ac etiam Diana Summam d. Verb. Absolvere num. 53. nec non Gobatum, & DD. per cum congestos in Experim. Theolog. tract. 7. num. 369. & 384. ac 387. Reginaldum quoque libr. 8. num. 85. ac in puncto Collegium Salmanticense de Censuris tract. 10. cap. 2. num. 63. & 64. Igitur tanta conscientia, attentis moralibus periculis manifestandæ Monialis penitentis, scandalorum, infamiz, ac aliorum inconvenientium, si Confessarius accedat ad Episcopum, poterit illam absolvere propria auctoritate;

ritate; cessare enim censetur reservatio in hoc casu; & à jure habere necessariam facultatem; cum ipsa Monialis ob perpetuum impedimentum Clausuræ non valeat se præsentare Superiori ad absolutionem obtinendam.

DECISIO XLII ARGUMENTUM.

Electio, & approbatio Confessoriorum Monialium Regularibus subditarum à quo fit faciendâ? Stipendium eorumdem quale? & quantum? Socius Confessarii Regularis an intret cum ipso in Clausuram Monialium? Prædictas Moniales Regularibus subiectas quis absolvat à censuris, & à casibus reservatis? Quis iisdem morientibus assistat?

SUMMARIUM.

- 1 Confessarii Monialium, subiectarum Regularibus, à quibus eligantur, ac approbentur?
2 Generales, ac alii Prælati Regularis an audiant Confessiones suarum Monialium?
3 Prælati Regularis possunt dare suis Monialibus Confessionem, etiam sæcularem, vel alterius Ordinis?
4 Stipendium Confessoriorum qualiter à Monialibus solvendum?
5 Socius Confessarii Regularis an cum ipso ingrediatur clausuram Monialium?
6 Moniales Regularibus subiecte à quibus absolvantur à censuris, & à casibus reservatis? opinioniones tres.
7 Monialibus moribundis an assistere possit Confessarius?

DE Confessariis Monialium, quæ sunt subiectæ Regularibus, hæc quinque sunt breviter videnda.

Primo: A quibus ipsi sint eligendi, ac approbandi?
Secundo: Eorum stipendium annuum qualiter solvendum?
Tertio: An conducant secum socium in clausuram?
Quarto: Hæc Moniales per quos absolvantur à censuris, & à casibus reservatis?
Quinto: An Confessarius assistat moribundæ Moniali usque ad expirationem Animæ?
Quo ad Primum: Confessarii audituri Confessiones Sacramentales Monialium subiectarum Regularibus, sunt quidem eligendi per ipsorum Superiores, ac Prælatos Regulares, sed approbandi per Episcopum juxta insignem, ac famosam Constitutionem Gregorii Papæ XV. publicatam Anno à Nativitate Domini 1623, die 8. Februarii, quæ incipit: Inscrutabilis, &c. et est in Bullario Romano ejusdem Pontificis Confess. XVIII. & quam per extensum transcribunt, (una cum dubiis, circa intelligentiam ejusdem Constitutionis, propositis per Regulares Sacræ Congregationis Concilii, & ejusdem Sacræ Congregationis responsis) Alcan. Tamburinus de Jure Abbatissarum disp. 16. quest. 2. & 3. atque Pax Jordanus tom. 2. in fin. pag. 600. ex qua quidem Constitutione, ac responsis Sacræ Congregationis aperte constat, eosdem Confessarios Regulares, etsi approbatos pro audiendis confessionibus sæcularium ab Episcopo, non posse audire Confessiones Monialium iisdem Regularibus subiectarum, nisi per Episcopum iterum approbentur pro Monasterio, cui sunt destinati, & quidem prævio examine, si eos Episcopus voluerit examinare; aliàs Confessiones Monialium sint nullæ, & absolutio per Regulares illis imperita sit invalida, & subjaceant punitioni Episcopi; adeoque necessaria est prædicta Episcopalis approbatio; ut sit renovanda toties quoties Confessarius

Regularis antea approbatus pro aliquo Monasterio, de novo ad illud, vel ad aliud contigerit deputari, completa priori eius deputazione; ut docent omnes Theologi, ac Canonistæ de hac materia scribentes, ut videre est apud Bordonum Var. Resol. part. 1. resol. 5. in prin. & resol. 36. num. 71. nec non part. 3. resol. 118. num. 11. Tamburinus d. disp. 16. quest. 2. Fulcus de Visitat. libr. 2. cap. 18. n. 4. Gavanus in Manuali Episc. Verb. Monialium cura spiriutalis. Barbosa de Offic. & potest. Episc. alleg. 25. num. 71. Et Pax Jordanus d. tom. 2. lib. 7. tit. 12. à num. 201. & seqq. Quod hodie definitum est in Bulla Clementis X. de qua supra Decif. XXXVIII. num. 32.

Potèrò duo hic veniunt notanda, tamquam scitu digna, ac necessaria; Unum est, quod Abbates, & alii Prælati Regulares altioris gradus, etiam Provinciales, & Generales non possunt audire Confessiones Monialium sibi subiectarum absque prævia approbatione Episcopi; ut resolutum fuisse à Sacra Congregatione sub die 13. Novembris 1627. testatur Barbosa in Collect. DD. ad Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 10. num. 17. ac docent Cotoniuss. libr. 4. Controv. 8. num. 145. Lezana d. tom. 6. Ad Mare Maenum Carmelitæ. §. 62. num. 371. & concedit Bordonus d. resol. 5. num. 1. ubi tamen subdit, quod prædicti Abbates, ac Prælati non sunt examinandi, quia idoneitas eorum includitur in esmentia Prælatæ, ac Dignitatis quam obtinent, cui de jure est descendendum, ne dignitates Ecclesiasticæ vilescant; & qui ratione Officii sunt Pastores, ac Magistri, cogantur fieri discipuli, & confidentes. Alterum notandum est, quod ipsi Prælati Regulares possunt designare, ac deputare in Confessarium Monialibus sibi subiectis quemlibet Sacerdotem, etiam sæcularem, vel alterius Ordinis, nisi resistat aliquod statutum propriæ Religionis; & equidem dicendum venit extare, ac resistere, quia à sæculo non est auditum, neque tempore Jubilæorum, quod mittantur Confessarii alterius Ordinis, vel habitus ad Moniales Regularibus subiectas.

Quo ad Secundum: Confessarii Regulares ad harum Monialium sibi subiectarum confessiones audiendas à suis Prælati electi, & ab Episcopo examinati, & approbati, possunt pro suo labore habere debitum stipendium; Dignus est enim operarius mercede sua. Luc. 10. 7. sed illud non debet excedere quantitatem, quæ sufficit eorum victui; & est persolvendum non ipsis Confessariis, sed Monasteriis, in quibus degunt, & non in rebus comestibilibus, sed in pecunia per Prælatos, ac Superiores Religionis taxanda, ut decimum à Sacra Congregatione Episc. & Regular. die 29. Novembris 1605. refert Barbosa ad d. sess. 25. cap. 10. num. 14. interdicit omnino quacunq; mucerum largitione per Moniales iisdem Regularibus faciendâ; & prohibita sub quovis prætextu acceptatione ipsimet Confessariis, quibus etiam prorsus vetitum est comedere, ac bibere in confessionalibus, seu domibus Monasterii Monialium suarum propinquis, sed ad suum Monasterium, sive Convantum tenentur reverti, ut refectionem capiant; nisi nimis distaret à Monasterio Monialium, & tunc in diebus tantum generalem Confessionem, ut ex decretis ejusdem Sacræ Congregationis, de quibus Quaranta in Summa Bullar. Verb. Monasteria Monialium; & Lezana d. tom. 1. cap. 25. num. 40.

Quo ad Tertium: Non sunt concordēs Moralitæ, sed altercantur inter se, An ingrediente Confessario Regulari Monialium clausuram pro confessione alicujus infirmæ audiendâ, socius ejus debet secum ingredi, vel extra remanere? Quod debeat ingredi cum Confessario docent Sanchez in Decal. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 46. & Miranda de Monial. qu. 2. art. 17. quos citat, & sequitur Diana

part. 3.

part. 3. traç. 2. resol. 51. quod repetit part. 10. traç. 13. resol. 4. §. 2. in fin. & hæc reperitur in Diana Coordinato tom. 3. traç. 6. resol. 65. illa vero in tom. 7. traç. 1. resol. 349. ac utrobique pro ratione adducit decemiam, quæ postulat ut Religiosi numquam soli intendant, sed bini, & cum socio. Contrarium tenet Bonacina De Clausura q. 4. punç. 4. num. 4. & Bordonus d. part. 1. resol. 5. numer. 6. ubi dicit, quod socius introduci potest tunc solum, quando Sacerdos indiget ope ejus, ut in administratione Eucharistiæ, vel celebrationis Missæ, aut sepeliendæ Monialis; secus autem pro audiendis agrotantium confessionibus; inutilis enim tunc est illa associatio, imò potius nociva ipsi socio, ibi otiosè permanens inter Moniales. Neque obstat ratio Dianæ, & aliorum circa decemiam, quia hæc in nihilo læditur à Confessario ingrediente vestito cum cotra, & stola, & non est mirum, si pro explendo ministerio suo Sacerdotali, ius ingrediatur; quandoquidem ubi Regulares intrant pro aliquo negotio cubiculum Principis, eorum socii remanent, & expectant extra ostium. Bordonus opinio videtur verior in jure, & servanda in praxi, ubi non militet consensus in contrarium, vel speciale Prælatorum decretum.

6. Quo ad Quartum: Si querimus, hæc Moniales Regularibus subiectis à quibus absolvantur à censuris, & à casibus reservatis, Reperio tres opinioniones. Una est, quod sunt absolvendæ ab Episcopo. Ita Cochlier de Juriß. Ordin. in exempt. part. 2. q. 45. num. 56. Barbosa de Offic. & pot. Episc. alleg. 105. num. 55. nec non Alcan. Tamburinus de Jure Abbatissar. disp. 17. quest. 6. num. 4. Sed hæc opinio videtur intelligenda de Monialibus exemptis immediate subiectis Apostolicæ Sedis, non autem de subiectis Regularibus, de quibus loquimur; nam circa illas Episcopi exercent plenam Jurisdictionem tamquam ejusdem Sedis Apostolicæ Delegati, & eas gubernant. Donatus d. traç. de Rebus Regular. tom. 1. traç. 11. quest. 16. num. 42. ubi ponit dispositionem Concilii Tridentini sess. 25. de Regul. cap. 9. præcipientis, prædictas Moniales Apostolicæ Sedis immediate subiectas gubernari ab Episcopo; subiectas autem Prælati Regularibus, sub eorum cura, & custodia relinquit. Vel est accipiendâ dicta opinio tammodò de censura, & casu reservato provenientibus ob manus violentas, quas ipsæ Moniales injecerint in seipsas, vel in Clericos, attento Canonica expressio ita disponente, ut legitur in cap. De Monialibus 33. De Sent. Excommunic. Aut potius est interpretanda de casibus per ipsum Episcopum sibi reservatis circa clausuram Monialium, quandoquidem ubi agitur de eorum clausura cessat omnis exemptio, & quo ad eam etiam Moniales Regularibus subiectæ subiciuntur Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ delegatis, tum ex Concilio Tridentino d. sess. 25. de Regul. cap. 5. tum ex præcitata Bulla Gregorii XV. incipit. Inscrutabilis, &c. ut bene notat idem Donatus tom. 4. traç. 73. quest. 33. Secunda opinio est Bordonus d. part. 1. resol. 5. n. 6. affirmantis, prædictas Moniales esse absolvendas ab earum Prælati Regularibus, ea ratione, quia per antedictam Bullam Gregorii XV. nulla facultas fuit illis sublatâ, sed tantummodò fuit ordinatum, ne Confessarii per eos deputati audirent eorumdem Monialium confessiones absque Episcopi approbatione. Confirmatur hæc opinio, quia Prælati sibi casus circa Moniales suas, ut optime probat idem Bordonus in Miscellan. Decif. 212. cum autem ejus sit absolovere, cujus est ligare; sequitur, ab iisdem Prælati Regularibus esse petendam facultatem easdem Moniales illis subditas absolvi, non autem ab Episcopo; & quamvis

De Sacramento Pœnitentiæ.

ipsi Prælati Regulares non audiant confessiones Monialium suarum sine Episcopali approbatione; nihilominus tamquam Ordinarii, ac Superiores earumdem delegant, & delegare valent Confessariis ab Episcopo approbatis facultatem absolvendi prædictas Moniales à censuris, & à casibus reservatis, ut optime demonstrat Lezana in Summatom. 3. Verb. Casus reservati Regularium. num. 29. & eo clariùs tom. 5. ad Mare Magnum Minorum n. 113. & 114. ubi alios DD. cumulat. Hoc quidem confirmant in terminis præsentis quæstioni circa Moniales Regularibus subiectas, Tamburinus de Jure Abbatissarum disput. 16. quest. 8. num. 4. & Donatus Rer. Regular. d. tom. 4. traç. 13. quest. 40. ubi bene probat, quod in casibus occultis, & in foro conscientiæ Prælati Regulares ex Privilegiis Apostolicis habent tantam facultatem absolvendi suos subditos utriusque sexus, vel per se, vel per Confessarios à se deputatos à quibuscumque censuris, ac casibus reservatis, quantum habent Episcoporum erga suos subditos. Imò Donatus in d. quest. 40. num. 5. insurgit contra Naldum assertentem in Summa Verb. Moniales num. 9. licitum esse Monialibus, quæ sunt subiectæ Regularibus, recurrere ad Episcopum, ut ab eo absolvantur à censuris, seu casibus reservatis, & ostendit reprehensibilem esse talem assertionem, rationem subdens his verbis: Tum quia Regulares exempti non possunt in præjudicium suorum Prælatorum renunciare Privilegio exemptionis sine licentia Papæ per iura multa, quæ refero tom. 2. p. 2. traç. 13. de Exempt. q. 10. & q. 20. in traç. de Confessariis Regular. tum etiam quia Prælati Regulares in suis subditis possunt totum illud, quod potest Episcopus jure Concilii Tridentini, cap. 6. sess. 24. de Ref. per allegata tom. 2. part. 1. traç. 3. de Potest. Prælati q. 3. Imò & majorem, ut constat ex dictis ibidem q. 6. & 7. Dum ergo quod querunt, intus habent, ad quid adire Episcopum? Et fortius, quia eo ipso, quod Prælati exemptus habet potestatem dispensandi cum suis subditis, &c. habet etiam jus, ut nullus possit se intrinsecere circa subditum suum. Et allegat Suarezium tom. 4. de Religione. traç. 8. lib. 2. cap. 12. num. 13. & cap. 23. num. 4. Est itaque hæc secunda opinio legalis, bene fundata, & certa, ideòque in praxi abique serupulo tenenda apud Moniales Prælati Regularibus subiectas. Tertia postea opinio est, quod quando per recursum ad Prælatos timor esset scandalorum, vel manifestationis pœnitentiæ; cum hæc tamquam obligata perpetuæ Clausuræ non possit adire Superiores, valeat absolvi à Confessario Ordinario, ut probatum est in antecedenti Decif. XLI. num. 18. ex DD. ibi citatis, quibus addi potest Summa Diana Verb. Absolvere num. 38.

Quo ad Quintum quæsitum, Respondet Barbosa in Collect. DD. ad Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 10. num. 23. quod Confessarii Monialium, postquam administraverint Sacramentum Extremæ Unctionis Monialibus infirmis, atque animas earum Altissimo commendaverint, non amplius illi morentur; sed eas hortari ad bene moriendum aliis Monialibus sit curæ. Hoc tamen dictum refutat Pax Jordanus tom. 2. lib. 7. tit. 12. num. 89. subdens, quod contrarium servatur apud Moniales omnes, quia valde laudabile videtur, Sacerdotem operum assistere, & ad bene moriendum hortari; neque morientem tam periculoso tempore deserere. Equidem non debent Moniales esse pejoris conditionis, quam sæculares, quibus Parochorum assistentiam in articulo mortis enixis monitionibus omnes Episcopi decernunt in Synodalibus Constitutionibus; ubi agunt de Sacramento Extremæ Unctionis, & injungit Rituale Romanum. Satis sit pro necessitate hujus assistentiæ Confessarii usquequo Monialis infirma expiraverit, legere motiva, qua

L 3 addu-

addicit P. Paulus Segneri in Parocho instrulio cap. 2. 4. & exempla per me relata Nella prima età del Mondo Reg. 4. punt. 3.

DECISIO XLIII. ARGUMENTUM

Ex hypothesi, quod innotescat Confessario Monialium reperiri inter eas unam Hermaphroditam, agit de variis speciebus, seu differentiis Hermaphroditarum, & circa eosdem curiosæ, sed utiles Quæstiones, scitu necessariæ, proponuntur, atque terminantur ex Philosophorum, ac Medicorum doctrina, exemplis, & Historiis, Præcipue Quomodo femina convertantur in Mares; An Mares possint in feminas converti? An Hermaphroditæ valeant in veneris Agere, & Pati? Generare cum aliis, ac concipere in seipsis? Dantur quinque Regulæ ad cognoscendum quando sint potius Viri, quàm feminae. Resolvitur in fine, Quid agendum de Moniali Hermaphrodita? Et quando ejus Professio sit invalida?

SUMMARIUM.

- 1 Androgyni, seu Hermaphroditæ an dentur? Et qui sint?
2 Hermaphroditæ filii Veneris fabula.
3 Hermaphroditæ vel tales nascuntur, vel post ortum tales sunt: Et quænam sit causa? Astrologorum ac Medicorum opinio.
4 Adam fuisse Hermaphroditum opinio Bardæ Cujusdam Heretici.
5 Hermaphroditorum differentie oïo.
6 Hermaphrodita uxorata in Villa Dauli Patavina Diœcesis Anno 1690.
7 Mares an possint converti in feminas? Utraque opinio DD. sed negativæ verior num. 8.
8 Historia de Viris conversis in feminas quomodo intelligenda?
9 Regulæ ad cognoscendos Hermaphroditos an sint Viri, vel feminae?
10 Testes in viro cur ita appellentur?
11 Hermaphroditæ an dentur agentes, & patientes in Veneris? Et an generare cum aliis, & concipere in seipsis? num. 13.
12 Sexus duplex similis an dari possit in homine?
13 Hermaphrodita Moniali manifestanda Superioribus. Et quid agendum per ipsos? num. 16.
14 Professio Moniali Hermaphrodita quando sit nulla?
15 Hermaphroditæ quando possint ordinari, vel alia munia virilia obire?
16 Moniales non transferuntur de Monasteriis sine licentia Pape.
17 Mulier simulato sexu nulliter proficeretur in Monasterio Virorum.
18 Exempla Mulierum incognitarum in Cœnobii Monachorum.

SED ætquam à Confessariis Monialium discedamus, non incongruum videretur, imò necessarium, resolvere hic illam Quæstionem, quam proponunt Theologi Morales, quid agere debeat Confessarius Monialium, cui in audiendis earumdem confessionibus innotuit, unam earum esse Hermaphroditam, seu Androgynam, & esse periculum scandalorum, & Dei offensæ, ob commixtionem illius cum aliis? Pro intelligentia materiæ de Hermaphroditis, quæ deservit etiam pro eorum promotione ad Ordines, ad Matrimonia, & ad Professionem in Monasteriis Virorum Regularium, septem breviter sunt videnda, ac examinanda. Videlicet:

- Primò, An in rerum natura dentur Androgyni, seu Hermaphroditæ? & qui tales sint?
Secundò, Hermaphroditæ in quotuplici sine differentia?
Tertio, An sicut feminae convertuntur in mares, ita mares possint in feminas converti?
Quartò, Quæ sint regulæ ad cognoscendum, ac decidendum, Hermaphroditos esse mares, & non feminas? ac vice versa eos esse feminas, & non mares?
Quintò, An dentur Hermaphroditæ adeò perfecti in utroque sexu, ut possint agere, & pati in veneris? Nec non generare cum aliis, atque concipere in seipsis?
Sextò, An detur, ac dari possit duplex similis sexus, sive masculinus, sive femininus in eodem corpore?
Septimò, Resolutio Quæstionis, & conclusio Decisionis tum quo ad Moniale Hermaphroditam; tum quo ad alios Hermaphroditos volentes Clericos fieri, vel Monachos, aut Matrimonium inire, vel ad feuda, aut fideicommissa masculina succedere.

Quo ad Primum: Extra omnem controversiam est dari Androgynos, seu Hermaphroditos in rerum natura, ut testantur omnes scribentes, Philosophi Historici, Medici, Theologi, ac Canonistæ, ut videre est apud P. Gasparem Schottum in sua Physica curiosa lib. 1. cap. 31. nec non lib. 3. cap. 10. apud Paulum Zacchiam Q. Q. Medicolegal. lib. 3. tit. 2. quæst. 9. num. 1. & 2. & ex professo, ac plenè lib. 7. tit. 1. q. 8. per totam apud Barbofam in Votis Decifivis lib. 3. Vol. 100. ubi plurimos cumulat. Qui verò sint Hermaphroditæ, notissimum est; ut docet Glossa in l. Quæritur. ff. de Statu homin. nimirum eos esse, qui partim habent genitalia membræ Viri, partim eadem mulieris; & explicat Aristoteles lib. 4. de Generat. Animal. cap. 4. Plineus Naturalis Hist. lib. 7. cap. 3. Paræus lib. 24. Licetus (hujus nostri Publici Gymnasii Patavini, dum ego juvenis, & studens essem, senior ipse Lector, ac Magister eximus) in tract. de Monstris lib. 2. cap. 53. & dicuntur Androgyni ab Andro quod virum, & gyno, quod mulierem significat; nec non Hermaphroditæ à filio Veneris, quem ipsa genuit cum Mercurio, & hoc nomine eum vocavit; qui cum esset pulcherrimus, ingressus Cariatæ Salmacem fontem, poëtarum signentis fabulosum; à Nympha Salmacide Cœli & Terræ filia mollissima requisitus, ut secum coiret, id eo recusante, sic fortiter fuit ab eadem amplexus, ut ex duobus corporibus unum fieret, utrumque sexum habens. Serra De Synonim. Verb. Hermaphroditus; & Verb. Salmacis. Porro Hermaphroditæ alii tales nascuntur, alii tales evadunt, circa duodecimum à nativitate annum; dum pubescere incipiunt, & ut plurimum habentes sexum femininum, emittunt etiam virilem. De primis, scilicet nascentibus cum utroque sexu, exempla refert Zacchias d. lib. 7. tit. 1. quæst. 9. num. 9. & 10. ubi germanos duos, quos ipse viderat, describit; enarrans formam sexus utriusque, quem gerebant. Sed non solum homines nasci Hermaphroditos, sed etiam irrationalia animalia constat. Neronem equas habuisse Hermaphroditas testis est Plinius lib. 11. Nat. Hist. cap. 49. De Canè, & Equa Hermaphroditis scribit Schenck lib. 4. observ. in princ. De Agno, Sue, Cervo, & Mure narrat alii, quos refert idem Zacchias d. quæst. 9. num. 15. ubi addit, se vidisse Romæ anno 1621. Asinum utroque sexu insignitum; qui unam non modo per penem, sed etiam per vulvum emittebat. Causam verò, ob quam generentur, ac nascantur Hermaphroditæ, si ab Astrologis queramus, eam fuisse dicunt, quia tempore conceptus eorum, in materno utero; Veneris, ac

ac Mercurii Synodus in signis bicorporis (cujusmodi sunt Gemini, Virgo, Sagittarius, & Pisces) celebrabatur. Sed hæc nugæ sunt, & Astrologastro- rum somnia communior, ac verior Philosophorum, atque Medicorum sententia est, causam proveni- re ab æquali vigore feminis, utriusque parentis; effusa enim ab utroque genitore æquali portione materiæ seminalis, facultas formatrix, quæ aliquid simile sibi fingere conatur, æqualibus viribus in utramque materiam incumbit; ac proinde mirum non est, si in uno, eodemque sexu uterque sexus posse reliceat. Ita Aldrovandus in Hist. Monstr. & apud ipsum Sueffanus pag. 518. Majolus Collog. 3. ac Albertus Magnus lib. 18. de Animal. tract. 2. cap. 3. & alii, quos citat, & sequitur P. Schottus in Physica Curiosa lib. 3. cap. 10. in fin.

De secundis, (scilicet nascentibus cum sexu femi- nino, & post duodecim, vel quatuordecim annos à nativitate evadere Hermaphroditos, enascen- tes in eis mentula, & masculinum sexum adipiscen- tes) innumera leguntur exempla; quæ curiosus Le- ctor reperiet apud eundem P. Schottum ubi supra lib. 1. cap. 31. nec non lib. 3. cap. 17. §. 1. tam antiqua, quam recentia, & inter cætera de duobus Montalibus, quæ in mareseverant, una Madriti, alia in civitate de Uveda, oriunda ex oppido Sabiote, dicta Magdalena Magnoz; tertiam Moniale Agnetem appellatam addit Barbofa d. lib. 3. Vol. 100. quæ à quatuordecim annis professa in Con- ventu Passionis Oppidi Sancti Felicis de los Gale- gos, Civitatis Diœcesis, de anno 1644. fuit à dicto Conventu expulsa, eum in ejus femineo sexu apparisset virilis, unde dubitare contigit, an ejus Professio fuisse valida? Plura alia exempla colli- git ibid. Barbofa de Vol. 100. de Mulieribus, quæ mutato sexu, viri evaserunt, de quibus, & de aliis multis ita loquitur Zacchias d. lib. 7. tit. 1. q. 8. sub num. 4. In primo ortu multos apparuisse Hermaphro- ditos est notissimum, neque posteriori indiget testimo- nio; quod verò femina nonnullæ, vel quæ feminae ap- parebant, in mares evaserint, & sic Hermaphrodi- tos se instante pubertate, vel instantibus menstrui- bus prodiderint, non minoris fame, quam de superioribus Historia testatur, quæ hic transcribere super- fluum videtur. Procedit postea ad investigandam causam hujusmodi mutationis sexus de femineo in masculinum, & relatis plurim clarissimorum Medi- corum opinionibus, concludit, hæc omnes feminas erumpentes in marem, fuisse viros ab initio, sed ob caloris inopiam, masculinum sexum intus laten- tem non potuisse extra emittere, donec ex aliquo motu violento, prout in casibus, quos adducit, pu- bertatis tempore, virilia exilierint. Concordant in hujus causæ relatione Cardanus lib. 8. de Variet. cap. 43. Wierus lib. 4. cap. 24. Andreas Laurentius lib. 7. Hist. Anatom. quæstion. 8. & alii congesti per Martinum Delrium Disquisit. Magicæ lib. 2. q. 22. & P. Schottum in d. Physica Curiosa lib. 1. cap. 31. §. 3. & §. 4. ubi ex profes- so inquirat causam prædictæ mutationis; & tandem ita concludit: Duobus modis videtur contingere posse, ac soleri, ut femina in viros mutentur. Primò si An- drogyni sint; ac prima ætate non appareant genitalia virilia, sed solum muliebria: successu verò temporis virilia appareant, muliebria verò abscondantur. Secundò, si initio quidem masculini sint, sed virilia genitalia jam retracta, abscondita, atque dispo- sita sint, ut videantur esse feminae; successu verò temporis incipiunt apparere mares. In neutro autem casu sit vera mutatio sexus feminini in masculinum; sed solum quo ad apparentiam, quia nimirum in utro- que solum signa masculini sexus apparent, quæ antea non apparebant. Non pigeat Lectorem me hic po- nere verba Cornelii à Lapide Commentar. in Genes.

cap. 1. ad Vers. 27. Masculum, & Feminam creavit eos; ubi ita scribit: Novator quidam in Fran- cia nuper asseruit, Adamum creatum esse Her- maphroditum, fuisseque eum tam feminam, quam masculum. Verum insulsi hoc dicitur: non enim dicit Scriptura, creavit EUM, sed EOS, scilicet Ada- mum, & Evam; puta Adamum creavit masculum, Evam vero feminam; undè patet hæc per anticipa- tionem dici. Hanc hæretici hominis opinionem, & assercionem, tamquam falsam, & ridiculam consu- tant etiam Zacchias cum auctoritate S. Thomæ 1. p. q. 92. art. 1. & Nicolai de Lyra in Q. Q. Medico- leg. d. lib. 7. tit. 1. quæst. 8. num. 33. ita invehens in illam: Hoc si negari non est, quid est negari? Silentium ergo tam bardæ opinioni jam imponatur.

Quo ad secundum; in quo queritur, In quotuplici differentia sint Hermaphroditæ? Plura sunt, quæ de hoc quæsto scribitur Medici, ac Anatomi, quos refert ipsemet Zacchias d. lib. 7. tit. 1. quæst. 8. & num. 4. & seqq. à quibus oïo differentias licet colligere. Prima est, quod nonnulli Hermaphrodi- tæ habent unum sexum sub altero. Tales, ut pluri- mum, sunt mares; seu qui habent prævalentem se- xum masculinum, hi enim in Perinæo (hoc est sub radice Penis in spatio, quod est inter ipsum, seu inter Scrotum, & Anum, hoc enim dicitur Perinæum, Amalthea Onomastica in Verb. Perinæon. ubi breviter loquens explicat dicens, Inter- cædo inter Anum, & Pudendum.) hi inquam, in Perinæo habent pendendum muliebri postum, & collocatum sub masculino, aut vice versa mulie- bre vas imminet virile verò subest. Zacchias d. qu. 8. num. 2. & num. 8. ubi exempla sex- torum narrat. Secunda differentia est, quod alii Hermaphroditæ habent utrumque sexum à lateri- bus postum in situ æquali; & in hoc casu obser- vant Doctores, quod unus sexus solet alteri præ- valere, & esse potentior, & tunc hic residet sem- per in parte dextera, altero debilitior in sinistra remanente. Idem Zacchias d. num. 8. ubi ex Ba- chem lib. 1. de Hermaphrod. cap. 33. recitat, de quo- dam Daniele uxorato, qui nunquam congressi po- tuit cum uxore, sed ipse ab alio imprægnatus, pe- perit femellam, quam sola dextra mamilla lactavit sinistra lacte carente, erat enim huic flexus femini- nus à dextris.

Huic aliud exemplum ex diametro oppositum ego adungere valeo; videlicet, dum essem in Visita- tione Villæ Dauli hujus Patavinæ Diœcesis Anno 1690. cum Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino meo Cardinali Barbado, comparuit coram me tamquam Auditore Eminentiæ suæ; Vir quidam rusticus uxoratus, petens à me declarari nullum Matrimonium suum, quod à paucis annis ince- rat cum muliere, quæ erat Hermaphrodita; cum qua nunquam potuit coire, neque Matrimonium con- summare; affirmabat enim, ipsam habere in parte dextera virilem mentulam digito anulari similem, & in sinistra vas muliebri, fed modicum, & impe- netrabile, subdens, quod à plerisque feminis audi- verat, se à dicta ejus uxore carnaliter fuisse cogni- tas. Relaxavi citationem contra eandem Hermaphro- ditam, quæ fugivit, nec reperiri potuit; & ulterius actum non fuit. Igitur ipsa habebat utrumque sexum in æquali situ, sed in parte dextera masculinum præ- valentem. Tertia differentia est, quod alii habent unum sexum in altero; scilicet masculinum in femi- nino, & de his casus practicos recentet Zac- chias d. lib. 7. tit. 1. q. 8. num. 8. advertens prædi- ctos non esse mares, sed feminas, in quorum utero nascitur certum quid carneum adinstar virilis membri, quod incalescit, indurefcitur, egreditur, & valet ad veneros actus aggrediendos; ut de quo- dam scorto Romæ in Hospitali Incurabiliim ægro- tante, cui medicam opem tulit, differit idem Zac- chias

chias d. tit. 1. q. 9. num. 16. ad cuius narrationem, ac sexus descriptionem curiosum lectorem remitto. Quarta differentia est de illis, in quibus uterque sexus est ita diminutus, ut nullum habere videatur; & vix tenere foramen, per quod egrediatur urina, conspicitur. Zacchias d. quest. 8. num. 13. ubi quodam huiusmodi Hermaphroditi in censu Eunuchorum sunt reponendi; & ad summum in numero femininum computandi. Quinta differentia eorum est, qui utrumque sexum habentes, in nullo tamen agere vel pati venerea valent. Sexta est contra est illorum, qui agunt, & patiuntur in utroque. Septima aliorum, quibus potestas est agendi tantum, ut mulier illa Villæ Daubi, quam supra recensui. Octava tandem illorum, qui tantummodo apti sunt pati, id est venire in parte feminae exercere, qualis fuerat Daniel Hermaphroditus in secunda differentia memoratus. De his latissimè Zacchias Q. Q. Medicolegal. lib. 3. tit. 2. q. 9. num. 2. & ex professo in lib. 7. tit. 1. quest. 8. & quest. 9. ubi DD. cumulatur, rationes & exempla.

Quo ad Tertium, non leve est dubium, An sicut femine convertuntur in viros, ut supra ostensum est, ita viros possint in feminas converteri? Non desunt qui affirmant, suam assertionem, & affirmativam opinionem confirmantes; Primò ex Poetis, qui aliquando fabulis secreta Natura arcanica contegunt; & pluries evenisse cecinerunt, ut de Cœneo Virgilius in lib. 6. Æneid.

... Iuvenis quondam nunc femina Cœneus Rursus, & in veterem fato revoluta figuram. Ovidius lib. 4. Metamorph. de Scythone.

Nec loquar ut quondam natura iure novato, Ambiguis fuerit modò Vir, modò femina Scython. Idem de Tiresia lib. 11. Metamorph.

Aufonius autem Poeta Historicus, quem recitat etiam ex Jurisconsultis Tiraquellus de Leg. Conub. Gloss. 1. part. 1. n. 105. post multa carmina de hac opinione, concludit ita:

Nec satis antiquum quod Campana in Beneventio

Unus Epheborum Virgo repente fuit.

Nolo tamen veteris documenta accersere fama, Ecce ego sum fetus femina de Pucro.

Secundò ex Historicis, de quibus apud antiquos, & præcipuè apud Hippocratè in lib. de Aer. Acq. & loci: ubi ipse testatur inter Scythas multos esse, qui cum mares nascantur, mox evirati habitu muliebri induuntur, & in muliebrem naturam abeuntes, muliebria quoque munia obeunt; & apud Licetum Lectorem publicum Patavinum d. lib. 2. de Monstris cap. 53. referentem, Alexandrie in Ægypto Cincadem peperisse: futurumque conditum miraculi causa assereri. In Germania quoque in exercitu Romano, quem T. Curtius Mancias duxit, servum militis peperisse. Et Tertio ab usu animalium irrationabilium, quorum plurima censentur mutare sexum masculinum in femininum, concipere ac parere, ut de Lepore, Cervis, Hyæna (quæ est animal ferum, sermonem humanum simulans, Lupi perfimile) ac de aliis testificantur Gaspar Bacchin. d. lib. 2. de Hermaphrod. cap. 2. & seqq. Galeottus Martius de Doctr. Ingentor. cap. 13. inferentes ex his, non esse extra naturæ limites, ex maribus feminas fieri, itate hanc opinionem sequatur ex Jurisconsultis Torrelbana Dæmonolog. lib. 2. cap. 17. à n. 12. & seqq.

Cæterum opinio negativa communior, ac verior est, & innititur solidis rationibus, ac fundamentis; siquidem primò, Natura semper tendit ad magis perfectum, non autem ad minus; virum autem esse perfectiorem femina nemo dubitat. Secundò, si transmutatio membrorum fieri debet, proculdubio non à frigore, sed à calore est facienda. At calor im-

pellit, diffundit, dilatat, non cogit, non contrahit, non retrahit. Ergo est impossibile, marem mutari in feminam; quia calor, cuius virtute faciendi est mutatio, non potest retrahere, contrahere, & includere virile membrum, ut pœnitens evanuisse dicatur. Tertio, hic motus vel fiet à facultate Expultrice, vel Attrahitricè. Non ab illa, quia tendit in contrarium motum. Non ab ista, quia non operatur in detrimentum animalis, & certè detrimentum pateretur Vir, si à natura sibi attraheretur virilitas, ut femina remaneret.

Quartò, (& est ratio tangibilis) cum in corpore animalis non detur locus vacuum, si genitalia, quæ in viro foras prominent, in intro remeare deberent, oporteret hæc vel penetrare alia corpora intus existentia, aut ea impellere, & de loco suo expellere. Sed hæc omnia sunt absurda, neque asserenda, neque in praxi verificanda. Ergo omninò dicendum; impossibile esse, marem converti in feminam neque vi naturæ, neque arte Dæmonis, & contrariam opinionem esse vanam, ac ridiculam, ut eam vocant Zacchias d. lib. 7. tit. 1. quest. 8. num. 23. & ibi Ludovic. Vives in lib. 3. de Civit. Dei cap. ult. Major. Dier. Canonic. collat. 3. part. 1. Riolanus de Hermaphrod. cap. 13. Martinus Delrius Disquisit. Magic. lib. 2. quest. 22. & novissimè Pater Schottus in cit. Physicæ Curiosæ lib. 1. cap. 31. §. 4. Neque obstant argumenta contrariæ sententiæ; quia quò ad Poetas, eorum studium est fingere, ac fingentes carmina decorare; quo verò ad Historicos, respondentur, quod prædicti viri, quos asserunt in feminas convertios, concepisse, ac peperisse, non fuerunt vere Viri, sed Hermaphroditi, in quibus prævalebat sexus femininus, ut de antedictò Cincædo Alexandrino, atque de servo militis in Germania. Idcirco etiã se iactant mares, quia masculinum sexum, infirmiorum tamen, ac debiliorem habebant; nihilominus cum in eis prævaleret femininus, partes femine in copula gesserunt, ut fecit etiam ille Daniel uxoratus, de quo supra num. 5. in fit. Quo ad Scythas relatos ab Hippocrate obsevav Zacchias ubi ante num. 23. non fieri in eis mutationem circa membra generationis, sed circa corporis habitum, & animi vigorem. De cæteris animantibus irrationabilibus idem asseverandum; scilicet cum utroque sexu ea nasci, & quamvis aliquo tempore videatur prævalere id, quod maris est, in rei veritate præpotens fit, quod ad feminas pertinet.

Quo ad Quartum; in quo queritur, Quæ sint Regulæ ad cognoscendum, ac decidendum, Hermaphroditum esse mares, & non feminas? ac vice versa eos esse feminas, & non mares? Advertere oportet, hoc quæsitum esse magnæ utilitatis, & dignum scitu, deserviens ad dirimendas graves difficultates, quæ in Curii Episcopaliibus, atque in Monasteriis, & ordinibus Regularibus emergere possunt circa personas hermaphroditas, earumque validitatem, vel nullitatem professionis; nec non habilitatis vel ad successorem feudorum, vel ad fideicommissa masculis tantum debita, vel ad suscipiendos validè ordines, vel ad ineunda Matrimonia; seu jam inita valida, vel invalida declaranda. Igitur notentur Regulæ sequentes, quarum Prima est: Quando genitale extra se prode, & cum eo testes extra alvum prominent, tunc Hermaphroditus iudicandus, & censendus est Vir, non autem femina; ac e contra testibus non prominentibus reputandus est Mulier, non autem Mas. Ratio est, quia secundum Andr. Laurent. lib. 7. Anatom. cap. 4. testes ita dicuntur in viro, quod testimonium præbeant virilitatis, & hoc adeo verum est, ut non solum ita sit iudicandum si ambo testes apparent, sed etiam si unus tantum; imò quamvis genitale virile non appareret, licet enim Car-

danus

danus lib. 7. de Var. cap. 27. putaverit virilem penem extra se prodecentem esse signum certum masculinitatis; hoc non est verum, nisi prominentibus extra etiam testibus; plures enim semine, ut vidimus supra, penem extra se egerentem habebant, sed non testes. Ita illis citatis firmat Zacchias d. lib. 7. tit. 1. quest. 8. num. 19. ubi excipit, dummodo tanta non esset testium exilitas, ut tamquam nulli habendi essent, ac si non essent; idque procedit in hominibus, ac ceteris animalibus in quibus testes prominere solent; secus in illis, quæ eos intus habent, ut Aves.

Secunda Regula est: Ubi cumque deficient testes, & adest excretio menstrua, absque dubio pronuntiandum est pro sexu feminino: Siquidem menstruum emanatio est certissimum signum muliebris temperamenti, etiam si in contrarium habere multum signa, & intet illa genitale virile; ut optimè firmat ipsemet Zacchias ead. quest. 8. num. 20.

Tertia Regula est: Salvis supra dictis, sexus, qui prævalet mole, ac conformior est in situ, in aptitudine, & in activitate, facit indicium pro seipso, si vir sit masculinus, si vir femininus; potissimum si uterque sexus sit lateralis, & qui major, ac vegetior est, consistit in dextera parte. Ita idem Medicus legalis Zacchias d. lib. 7. tit. 1. q. 8. num. 16.

Quarta Regula est illa, quam idem Auctor ibid. num. 17. indicat his verbis: *Habitus corporis virilis, vox gravis, ac sonora, animus ad virilia pronus impiger, ac pathematici viro dignis excitatus; pili in mento, in perineo, seu tauro, & ano; mammae exiles, pectus excarnæ; capiti capilli hirti, breves, & durissuli; Urinæ per penem excretio, & multo magis femininus, virilem sexum demonstrat.*

Quinta, quam hinc veritas tradit eodem loco: *Habitus corporis muliebris mollis, & delicatus, vox exilis, animus demissus, & passionibus muliere dignis implicitus, pili in mento, perineo, in ano nulli; mammae turgidule; & pectus carnosum; capilli capiti promissi, tenues, molles, longi; urinæ per consuetas muliebres vias excretio, muliebri sexus sufficientia indicia sunt.*

Hæc sunt Regulæ utilissimæ, ac in praxi observandæ, si contingat casus pro decisione sexus Hermaphroditorum; quas quidem Regulæ ignorarunt Navarrus, & Sanchez, quamvis celeberrimi Auctores, dum uterque remittit decisionem assertioni eius Hermaphroditis, quando uterque sexus in eo sit æqualis, ut lector videre potest in eodem Navarro, quem citat, & sequitur Sanchez de Matrimo. lib. 7. disp. 106. num. 2. quorum doctrinam esse reducendam ad supra dictas regulas Medicas ait idem Zacchias d. lib. 7. tit. 1. quest. 18. num. 15.

Quo ad quintum, in quo inquiritur, An dentur Hermaphroditi ad perfecti in utroque sexu, ut possint agere, & pati in Veneris? Nec non generare cum aliis, atque concipere in seipsis? Ad primam partem huius quæstionis respondent Medici, quos citat, & sequitur ipse Zacchias d. quest. 8. numer. 24. & num. 29. dari Hermaphroditos tantæ perfectionis in utroque sexu, ut agere, ac pati venerea possint. Nihil enim videtur ob stare, quo minus genitalia ita affabre facta sint, ut ad hunc usum sufficiant; & constat ex pluribus Historicis ibi relato, non paucos Hermaphroditos cosse cum feminis, & eisdem coitum cum viris passos esse. Ad secundam partem quæstionis responso Medicorum est negativa, quia impossibile est, unum, eundemque Hermaphroditum generare posse in se, & in alio; ac ratione, quia semen non potest habere duos contrarios motus, nimirum ad extra, & ad intra. Ita Riolanus de Hermaphrod. cap. 3. Constantinus Varo lib. 4. Anatom. cap. 4. Sennert. in sua Practic. lib. 3. part. 9. sect. 1. cap. 13. & ipsemet Zacchias d. lib. 7. tit. 1. quest. 8. num. 30. & 31. addu-

cens alias rationes; & præcipuè, quia non est possibile, ut unum, idemque individuum sortiatur duplicem naturam inter se diffidentem respectu totius; nempe generare in alio, quod requirit calorem vividum totius temperamenti, & generare in se, quod procedit ex calore remisso; hæc autem simul stare non possunt. Neque movere debent Historicis contrarium asserentes, quia mulieres, quæ ex congressu cum Hermaphroditis se concepit dicebant, cum aliis viris credendum est, eas carnaliter copulatas; nam Hermaphroditus etiam sexum masculinum prævalentem habentes raro generant, quia cæteris masculis frigidiores sunt. Marcellus Donatus in Histor. Medicæ. lib. 6. cap. 2. Sed esto quod generent coeuntes cum mulieribus, hi nunquam apti erunt ad concipiendum in se ipsis, quia sexus femininus in eis est tenuissimus; ut latius examinant, & ex sententia Aristotelis, docentis in Hermaphroditis semper unum sexum esse ratum, alium irritum, concludit Zacchias d. quest. 8. num. 31.

Quo ad Sextum: Non desunt Medici, qui negant, quòd actus, aut dari possit duplex similis sexus, si vir masculinus, si vir femininus in eodem corpore; & eorum ratio est, quia si Natura duo membra ejusdem sexus efficeret in eodem animali, videretur frustra aliquid moliri, quod est contra Aristotelem. At ea non obstant affirmat Zacchias, & cum ea plurimi DD. congesti in eadem quest. 8. num. 34. ubi plures Historicis, & casus humanorum corporum, quæ ab ortu fuerant sortita duplicem penem virilem; & duplicia pudenda muliebria. Nec deficit ratio, cur hæc duplicitas aliquando eveniat. Et est, quia in organizatione corporum Natura operatur, atque efformat membra superflua ex luxuriante, & superabundante materia, ne otiosa videatur. Idcirco de die in diem ob hanc causam videmus monstruosa corpora cum tribus, vel quatuor brachiis, totidem pedibus, sex digitis in manu, & consimilia. Sic, ubi in generatione hominis copiosissima detur ab utroque parente semen materia, ex ejus superfluitate non est difficile, quòd natura in sexu efformet duplex genitale ejusdem sexus. Quibus ita constitutis pro perfecta cognitione Hermaphroditorum; deveniendo tandem

Ad Septimum; & resolvendo propositum Casum: Quid agere debeat Confessaricus Monialium, ex Confessionibus earum cognoscens, reperiri inter illas Monialem Hermaphroditam, seu Androgynam; ac periculum esse scandalorum, Deique offensæ, ob masculinum sexum in ea prævalentem? Respondeatur, ab eo negandam esse abolitionem Monialibus id scientibus, & multò magis ipsi Hermaphroditæ, donec vel ab ipsa, vel ab aliis notificetur talis status Abbatissæ ad hoc ut per eam excutiantur Prælati Superiores ad remedia de Jure opportuna: Ita Bordonus Var. Resolut. part. 1. resolut. 8. num. 13. & part. 3. resol. 118. num. 4. nec non resolut. 127. n. 61. Tamburinus de Jure Abbatissar. disp. 6. quest. 7. atque Barboia in cit. lib. 3. Vol. 100. per totum. de Votis Decisiois.

At quid acturi erunt Prælati, ac Superiores Monasterii tum circa personam, tum circa professionem ejusdem Monialis Hermaphroditæ? Eorum officium erit formare processum, & deputare Matronas, seu obstrictas, quæ visitent eandem Hermaphroditam, & sub iuramento fideliter ac exactè videant, observent, ac referant qualitatem utriusque sexus apparentis in ipsa Moniali; & ubi masculinus sit æqualis, vel prævaleat femininus; & periculum imminet scandalorum, tum proprio actionum cum aliis sacris Virginitibus; ipsa Hermaphroditæ est de Monasterio auferenda, & parentibus, seu piis Matronis in custodiam danda, juxta Vorum 300. Supra cit. Barboia, & doctrinam Do-

nati

nati Regum Regular. tom. 2. part. 2. trañat. 3. quæst. 23. Subinde considerandum erit circa validitatem, vel nullitatem professionis, sub qua reguntur 17 a redigatur qualitas ejusdem Hermaphroditæ; siquidem, ubi fit de illis, de quibus in Regula prima, vel quarta, declaranda est nulla ejus professio, ac prorsus invalida, & omnino est ad sæculum remittenda. Sanchez in Decalog. lib. 5. cap. 4. num. 41. Navarrus de Regul. conf. 47. Barbosa d. vot. 100. num. 29. & Donatus d. quæst. 23. num. 10. At si ejus status caderet sub tertia, vel quinta regula, oporteret distinguere: vel uterque sexus est æqualis, & habilis ad actus Venereos? Et pariter in hoc casu pronuntiandum foret pro nullitate professionis, & pro dimissione à Religione ipsius Monialis per tradita à Lezana in Summa, tom. 1. cap. 2. num. 20. à Pellizzio in Manuali Prelatorum. tom. 2. trañat. 7. cap. 5. num. 52. & à Peyrino tom. 2. de Prælat. quæst. 3. cap. 1. §. 2. num. 59. Vel prævaleret sexus femineus cum tanta, & tali diminutione, seu exilitate virilis, ut non effet timor scandalorum, ut congressum cum aliis? Et in hoc casu valida censenda esset Professio, & retinenda esset Monialis in Monasterio ex Lezana d. num. 20. & ex DD. quos citat, & sequitur Donatus d. quæst. 23. num. 28. 5. Porro quo ad Ordines suscipiendos, matrimonia in eundem cum mulieribus, ac successiones ad feudam, & fideicommissa ad solos masculos pertinentia, habiles reputandi sunt Hermaphroditæ habentes requisita considerata in prima, tertia, ac quarta Regula; scilicet si ea, quæ posita sunt in secunda, & quinta. Sanchez de Matrimon. d. lib. 7. disp. 106. Barbosa, qui alios DD. ita sentientes cumulat d. lib. 3. vot. 100. à num. 23. & sequitur Angelus, & alii Summistæ in Verb. Hermaphroditus. Novissimè Pax Jordanus tom. 2. lib. 10. tit. 15. à num. 4. usque in finem; & Donatus d. tom. 2. part. 2. quæst. 23.

Postremo Corollaria duo sunt notanda: unum, quòd casus si occurreret in praxi de Moniali Androgynea, juxta supradictam hypothefim, scribendum esset statim ad Sacram Congregationem Episcoporum, ac Regularium; ipsaque consulenda foret super quid agendum tam in ordine, quàm in meritis; 19 attento quòd hodie Moniales transferri non possunt de Monasterio quacumque de causa sine speciali licentia Sedis Apostolicæ. Nicolius in Flosculis. Verb. Monialis. n. 19. & Diana Coordinatus tom. 7. trañat. 1. resol. 330. num. 3. Quæ in veteri reperitur part. 3. trañat. 2. resol. 99.

Corollarium alterum est, quòd si aliqua Virgo, vel Mulier simulata, ac ementio sexu, seque Virum fingens emitteret Professionem Regularem 20 apud Monachos, seu Regulares Viros; ejus receptio esset invalida ex defectu voluntatis illam recipientium, quæ concurrere debet unà cum voluntate profitentis, ut bene advertunt DD. apud Donatum in Supplicat. quæst. 23. num. 5. Non me lateat antiquitus plures Heroinas simulasse sexum, & religiofam vitam sanctissimè duxisse in Cenobitiis Monachorum, prout de S. Pelagia Antiochena scribit Lippomanus ex Metaphrafi. 8. Orobis. De Eugenia Philippi Comitissæ filia Marulus lib. 4. De Eufrosina sub nomine Smaragdi, idem Metaphrafi. 25. Septembr. De Sancta Marina Virgine in Achaia, quæ falsò accusata, quòd mulierem prægnantem reddidisset, partum accufatrici diligenter educare, & omnem pœnitentiam sibi ab Abbate impostam humiliter voluit potius peragere, quàm se esse feminam aperire. Lippomanus die 17. Julii. De Sancta Theodora Alexandrina eodem modo criminata, & eandem pœnitentiam patenter exequuta. Metaphrafi. 11. Septem. De Sancta Syncretica, seu Patricia, quæ assumptè nomen Dorothei; de qua Matthæus Raderus in Viridar. Sanctor. De Beata Poppulla, quæ 38. Annos vixit in Monasterio Re-

ligiosorum semper incognita, ut differret Sanctus Gregorius Turonen. de Gloria Confessor. cap. 16. ac de B. Hildegunde in Monasterio Schovianensi nominata Joseph, de qua ex Cesario idem Raderus; atque Schortus in Phisica Curiosa. lib. 3. cap. 17. §. 2. Exempla quidem admiranda, sed hodie non imitanda; quia ex Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 15. Viri profiteri debent in Monasteriis Virorum; Femine verò in illis Monialium tantum; ut notat Donatus d. tom. 2. part. 2. trañat. 5. quæst. 23. num. 5.

DECISIO XLIV.

ARGUMENTUM.

Exponitur, quid sit Casuum Reservatio. An ea in Ecclesia sit antiqua? Et Qui possint in foro interno, ac Sacramentali Casus sibi reservare? Examinatur, An reservari possint peccata Venialia? vel Mortalia interna? vel dubia? Referuntur Instructiones Sacræ Congregationis Episcoporum, ac Regularium circa Casuum reservationem.

SUMMARIUM.

- 1 Reservatio Casuum quid sit?
- 2 Facultas reservandi casus in Ecclesia semper fuit.
- 3 Papa reservat sibi Casus in toto Orbe Christiano.
- 4 Episcopi in suis Diocæsis.
- 5 Prelati habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem.
- 6 Abbates, atque Superiores Religionum.
- 7 Peccata minorâ, atque Venialia an possint reservari?
- 8 Sacerdos non approbatus non absolvit à Venialibus.
- 9 Peccata interna an possint reservari?
- 10 Hæresis mentalis an sit reservata? Et an exterior, sed occulta?
- 11 Peccata dubia an cadant sub reservatione? Et quando habenda pro reservatis? num. 12.
- 12 Instructiones S. Congreg. ad Episc. circa casus reservandos.

Pro complemento tractatus de Pœnitentiæ Sacramento, opus est materiam Casuum reservatorum explicare, cum circa illos instructi esse debeant Confessarii, ne in eorum absolutione ipsos errare contingat. Igitur in præsentis Decisione tria videbimus.

Primo. Quid sit Casuum Reservatio, & à quo tempore in Ecclesia sit introducta?

Secundo. Qui possint sibi casus reservare.

Tertio. Quæ peccata possint reservari.

Quo ad Primum. Casuum Reservatio est Coarctatio, seu limitatio Jurisdictionis, Confessarii inferioribus concessæ à Superiore pro foro conscientie, ac interno pro certis peccatis; ne ullus ab eis absolvere possit, nisi ipse Superior, vel alius delegatus ab illo. Ita Collegium Salmanticense in cursu Theolog. Moral. tom. 1. de Sacrament. in genere, trañat. 6. cap. 13. num. 1. & Eminentiss. Card. de Lauræa de Pœnit. Sacram. disp. 19. à num. 291. & sequitur ubi demonstrat, reservationem casuum consistere in prædicta coarctatione, seu limitatione Jurisdictionis; ea ratione, quia Superior intendit, & vult ipse solus ea uti circa absolutionem à casibus reservatis; vel cui voluerit specialiter delegare; adeòque si quis inferior non habens delegatam sibi jurisdictionem, attentaverit absolvere à reservatis, nulla, & invalida sit absolutio; & penitens teneatur iterum confiteri ipsi Superiori casus alios reservatos.

San-

Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 8. num. 5. & alii, quos citat, & sequitur d. Collegium Salmanticense d. cap. 13. num. 6. Hæc autem facultas in Superioribus reservandi sibi casus est adæd antiqua, ut eam semper fuisse in Ecclesia dubitandum non sit; tamquam necessariam ad regimen fidelium, & ad eos absterrendos à gravioribus culpis, ut differit Concilium Tridentinum sess. 14. de Sacram. Pœnitent. cap. 7. in illis verbis: Ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolvantur, quod sequitur Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 19. à num. 267. & sequitur. & de casibus reservatis Episcopo loquitur Bonifacius VIII. assumptus Anno 1294. ad Summum Pontificatum, in cap. 2. de Pœnitent. & Remission. in 6. Et Clemens V. electus Papa Anno 1304. in Clem. 1. §. Quibus etiam. de Privilegiis præter alios textus Canonicos, quos citat Ivenius in Commentariis Historicis, & Dogmaticis de Sacramentis tom. 2. Differat. 6. quæst. 7. cap. 3. §. 4. & novissimè Pignatelli tom. 10. Consult. 163. num. 1.

Quo ad Secundum: Extra controversiam est, Primo, quòd Papa sibi reservat peccata, ac censuras in universo Orbe Christiano. Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 19. num. 265. & num. 291. ubi probat, hæc reservandi casus potestatem in Papa esse à Deo, quòd latius sequitur Barbosa de Offic. & Potest. Episcop. allegat. 50. in qua omnes reservationes Papæ enumerat. Secundo, quòd Episcopi idem sibi reservandi casus pro suis Diocæsis habent; ut ex cit. cap. 2. de Pœnit. & Remiss. in 6. nec non ex eodem Sacro Concilio Tridentino d. sess. 14. cap. 7. Vers. Neque dubitandum est; ac etiam ex Can. 11. ubi profertur anathema in contrarium asserentes. Hanc tamen facultatem habent à Papa, ut pluribus rationibus ostendit idem Eminentiss. Card. de Lauræa ead. disp. 19. num. 293. Barbosa alleg. 51. in princ. atque Squillaceus de Privilegiis. Episc. part. 3. cap. 21. Tertio, Prelati inferiores, ac Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio, ac populo sibi subditis eandem facultatem censetur habere. Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 19. num. 278. & Collegium Salmantic. ead. trañat. 13. num. 2. ubi alios DD. cumulat. Et Quarto, Abbates, ac alii Superiores Religiosorum Ordinum, qui pro suis subditis reservare casus sibi valent, servata tamen forma Constitutionis Clementis Papæ VIII. de qua infra Decif. XLVI.

Quo ad Tertium: Tridentinum Concilium in cit. sess. 14. cap. 7. de Sacram. Pœnit. ait: quòd reservandi veniunt atrociora, & graviora crimina. Porro cum non possit tradi certâ limitatio casuum reservandorum pro unaquaque Diocesi, ut notat Navarrus in Man. cap. 27. num. 260. in fin. & Fillucius tom. 1. trañat. 15. num. 236. disputant Doctores Primo, An peccata minorâ, seu etiam Venialia possint reservari? & respondent, licet quòd non; validè autem quòd sic; quamvis videatur frustratoria reservatio quo ad venialia, quia de necessitate non sunt conficienda ex Concilio Trident. d. sess. 14. cap. 5. Nihilominus quatenus penitens velle ea submittere clavibus, & de eis obtinere absolutionem Sacramentali, teneatur se præsentare Superiori, vel ab eolitecentiam obtinere, ut à Confessario inferiori absolveretur, ut disputando concludit Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 19. à num. 312. & sequitur ubi num. 315. redarguit asserentem plurium Moralistarum; quòd quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, possit absolvere à Venialibus; subdens, numquam reperisse Canonem, vel textum concedentem hanc asserentiam facultatem; sed à contra extare definitionem Concilii Trident. d. sess. 14. cap. 7. in princ. Nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sa-

cerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet Jurisdictionem. Idcirco talem opinionem profertur esse ab Innocentio XI. diximus supra in Decif. XXXVII. um. 26.

Secundo, disputant DD. an peccata interna, et si gravia, ac mortalia possint reservari? Et quamvis nonnulli respondeant Negativè ex communi Axiomate, Ecclesia non judicat de occultis; cap. Erubescant. & ibi Glossa dist. 32. & cap. Cogitationis. de Pœnitent. dist. 1. Affirmativa responsio est verior, ac communior, quam tunc tenent Palaus, Dicastillus, Aversa, & alii, quos allegant, atque sequuntur Salmanticenses d. trañat. 13. num. 11. ac etiam tenet Eminentissim. Cardin. de Lauræa d. disp. 19. num. 309. quia ipsum peccatum internum est objectum Jurisdictionis Prælatorum, & ad absolvenda peccata interna opus est Jurisdictione. Igitur recusante Superiore concessionem Jurisdictionis super aliquo peccato interno, & volante per seipsum illud absolvere, valida erit reservatio. Ad rationem contrariam respondetur, quòd Ecclesia non judicat de occultis in foro exteriori, secus autem in interno, ac Sacramentali. Præterquam quòd penitens se accusat coram Confessario de peccatis internis; & ea non sunt amplius occulta, sed manifesta; & quidquid fit de hac ratione, certum est, quòd si Superiores velint, possunt etiam peccata gravia interna reservare. Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 8. num. 4. ubi alios allegat. At usus communis Ecclesiæ est, reservare tantum externa, non autem interna; hinc communis est Doctorum opinio, quòd hæresis mentalis, & merè interna non reservata, & à quocumque Confessario possit absolvi. Eminentiss. Cardin. Toletus in Summa lib. 1. cap. 19. num. 3. Lezana tom. 3. Verb. Hæresis num. 2. Reginaldus in Praxi lib. 9. num. 158. & num. 23. Sanchez alios cumulat d. lib. 2. cap. 8. num. 3. & Salmanticenses d. trañat. 13. de Pœnitent. num. 11. est aliud dicendum sit de hæresi occulta, quæ differt ab illa mentali; ideòque cum exterioris pandatur, etiam occultè, a sicitur excommunicatione Bullæ Censæ Domini, & absolvi non potest à Confessario inferiori, neque ab Episcopo, ut tenent Doctores quinquaginta collecti à Barbosa ad Concilium Trident. sess. 24. de Reform. cap. 6. num. 52. & infra dicitur. Quæ autem peccata in sola mente consummuntur, non comprehenduntur in reservatione; nisi expresse nominentur; quocirca si reservetur peccatum mortale furti; & quis furetur obolum, animo plures furandi; est peccet mortaliter ob malum animum, & ultimum finem furandi, peccatum illud non cadit sub reservatione, quia exterioris obligationem quantitatem non censetur peccatum mortale; ut docent pluri Theologi apud Salmanticenses d. trañat. 13. num. 12. Lezana d. tom. 3. Verb. Casus reservati num. 10.

Tertio in controversiam DD. vertunt, an peccata dubia veniant sub reservatione? Illa scilicet, de quibus penitens dubitat, se ea commississe? Vel si commiserit, an sint mortalia? vel ob levitatem materiæ, vel ob defectum perfectæ deliberationis, ut in blasphemante in primo motu iracundiæ? & quamvis non desint, qui affirmant, ut ajunt Salmanticenses d. trañat. 5. cap. 13. num. 14. nihilominus contrarium ibi tenent num. 15. cum pluribus Theologis, quos inter Suarez de Consensu disp. 40. sess. 6. num. 5. Eminentiss. Cardin. de Lugo de Sacram. Pœnitent. disp. 20. num. 20. Diana Coordinatus tom. 1. trañat. 5. resol. 41. existente in veteri part. 8. trañat. 7. resol. 74. ubi docet, quòd si deinde penitens fiat certus de peccato illo dubio, teneatur quidem illud confiteri, sed à quocumque Confessario poterit absolvi. Lezana tamen d. tom. 3. Verb. Casus reservati num. 14. excipit; si in percussione clerici dubium esset, an percussio fit gravis, vel levis? Vel